



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius  
Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

De Valente Superiore, XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)



emptus. De quo ipse vera non satis comperi, idcirco quod scriptores temporum de hujus præfectura multa, de imperio pauca dixerunt.

## 'DE VALENTE, XVIII.

**19** **H**ic vir militaris, simul etiam civilium virtutum gloria pollens, proconsulatum Achaiae<sup>2</sup> dato à Gallieno tunc honore gubernabat: <sup>3</sup> quem Martianus vehementer reformidans, simul quod in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quod inimicum sibi esse invidia virtutum sciebat, misso Pisone nobilissimæ tunc & consularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentissime cavens & providens, neque aliter sibi posse subveniri existimans, sumpsit imperium, <sup>4</sup> & brevi à militibus interemptus est.

## 'DE VALENTE SUPERIORE, XIX.

**20** **F**uit & Valens superior, & bene venit in mentem ut quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valen-

## CASAUBONUS.

**1** DE VALENTE.] Huic cognomen erat Thessalonico, auctore Marcellino libro XXI. plura de eo initio libri de Gallieno.

**3** Quem Martianus vehementer reformidans.] Libro superiore de Martiano quodam egimus: sed non hic de illo agitur: apparet enim ex ejusdem libri principio scribendum esse *Macrianus*. sic recte mox in Pisone.

**6** Fuit & Valens superior.] De hoc supra egimus inter principes post Gordianum III.

## GRUTERUS.

**3** Quem Macrianus vehementer.] Sic & Pal. non Martianus, ut editi.

## SALMASIUS.

**2** Dato à Gallieno tunc honore gubernabat.] Vetustæ membranæ: dato à Gal-

lieno tunc honore. honore pro honore. hoc bonus enim dicebant, & hic honor: ut hoc adus, adoris: & hic ador, adoris. secunda producta. sic hoc decus, & hic decus. optimæ Glossæ: bonus, honor, τιμὴ θεῶν, τιμὴ ἀνθρώπων.

**3** Quem Martianus vehementer reformidans.] Indubitanter legendum est quem Macrianus reformidans. atque ita Palatinus.

**4** Et brevi à militibus interemptus est.] Interferunt vocem membranæ: & brevi à militibus vi interemptus est. fonte à militibus suis interemptus est.

**5** DE VALENTE SUPERIORE. Fuit & Valens superior.] Delendus hoc etiam loco titulus, & una serie continuandum & legendum: VALENS SUPERIOR. Et bene venit in mentem, ut quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente



Valente qui superiorum principum temporibus interemptus est, aliquid dicamus. Nam hujus Valentis qui sub Gallieno imperavit, avunculus magnus fuisse perhibetur. Alii tantum avunculum dicunt. <sup>1</sup> sed par in ambobus fuit fortuna. Nam & ille quum paucis diebus Illyrico imperasset, occisus est.

DE PISONE, XX.

<sup>2</sup> Hic à Macriano ad interficiendum Valentem missus, ubi eum providum futurorum imperare cognovit, Thessaliam concessit, atque illic paucis sibi consentientibus sumpsit imperium, *Thessalicusque* appellatus, interemptus est: vir summæ sanctitatis & temporibus suis *Frugi* dictus, & qui ex illa Pisonum familia ducere originem diceretur, <sup>3</sup> cui se nobilitandi causa Cicero sociaverat. Hic omnibus principibus acceptissimus fuit. Ipse denique Valens qui ad eum percussiones misisse perhibetur, dixisse dicitur, non sibi apud deos inferos constare rationem, quod quamvis hostem suum, Pisonem tamen jussisset occidi, <sup>4</sup> virum cui similem Romana respublica tunc non haberet. Senatusconsultum de Pisone factum <sup>5</sup> ad noscendam ejus majestatem libenter inserui: Die septimo <sup>6</sup> Cal. Julias, quum esset nuntiatum Pisonem à Valente interemptum, ipsum Valentem à suis occisum, <sup>7</sup> Aurelius Fuscus

lente qui superiorum principum temporibus interemptus est, aliquid dicamus. vide, quæ in superioribus diversis locis notavimus.

<sup>1</sup> Sed par in ambobus fuit fortuna. ] Pal. sed par ambobus fuit forma. perperam. lege: sed par ambobus fuit fortuna.

<sup>2</sup> Hic à Macriano. ] A Macrino. vet. ed. & ita multis locis hujus historia nominatur.

<sup>7</sup> Aurelius Fuscus consularis. ] Lege: Arellius Fuscus. ita etiam paulo post nominatur in Tetrico juniore, ut ibi

dicturi sumus.

CASAUBONUS.

<sup>3</sup> Cui se nobilitandi causa Cicero sociaverat. ] Cum Tulliam filiam despondit C. Pisoni L. F. Frugi.

<sup>5</sup> Ad noscendam ejus majestatem. ] Ad Saloninum Gallieni filium & hoc loco diximus.

GRUTERUS.

<sup>4</sup> Virum cui similem. ] Pal. ejus.

<sup>6</sup> Calendas Julias. ] Pal. Kal. Juliarum.

<sup>7</sup> Arellius Fuscus Consularis. ] Revocavi